

Adjutorie Sacro Sancto Numinis

D I S P U T A T I O P H Y S I C A

De.

C O R P O R E
H U M A N O,

Q u æ

Approbante & consentiente veneranda & ampliss.
Fac. Philos. in Regia Academia Aboënsi publicè even-
tilanda proponitur.

P R E S I D E
J O H A N N E M A T T H Æ I
Ketarmanno.

R E S P O N D E N T E

Erico Johann. Justandro

Ad diem 9. Decembris, in Auditorio Majori.

Clarissim. Sperlingius.

Corporis Humanis structura mirabilior rotius mundi opificie. In magna
enim tabula depingere multa tanti non videtur laboris; At in
exigua tabella omnia singulaq; complecti hoc opus his labor est.

A U T O Æ.

Excudebat Petri

Acad. Typogr. Anno 1648.

Serv. qn. S. mons
lant pano f. 1648

Laudatissima Tavastiorum familia

- | | |
|--|--|
| Dn. HENRICO Tavast Seniori, celebris Finland, Emporij Aboe Civis negotiatori per celebris. | Dn. MARTINO Echiling Reg. Dicast. Finland. Secretario expeditissimo. |
| Dn. GABRIELI Tavast tratus Nijlandensis Quaestori solertissimo. | Dn. M. HENRICO Tavast Juniori, praelust. Comit. Petri Brahaei, arcisq. Aboensis Referendario promptissimo. |
| Dn. OLAO JOHANNIS Generos. Dñae Brigidae De La Gard. reddituum prefe-
cto fideliissimo. | Dn. HENRICO JOH. Parginulano, Reg. Holm. dicasterij scriba accuratiss. |

C O Elitus in terras descendit GNOTHI SEAVTON,
O Homo quisquis eris spacularre hoc GNOTHI SEAVTON?
Nic elegans speculum ritæ pictura & imago.
Multi multa sciunt, ignorant GNOTHI SEAVTON.
Quod tu homo sis, hoc sis, sed quæ tua sunt homo, nescis.
Hæc lege, quisquis homo es, quæ sunt tua noscere dicitur.
Hæc nobis, Benefactores, idcirò dicari:
Quod Auditorum ante hac mihi vos communio iunxit.
Quæ si non prosunt, prodesse tamen reor in hoc,
Quod monstrant nobis, qualis nostra hæc sit origo.
Quæ partes, quale augmentum, formatio qualis.
A. unius hoc quicquid: fido de pectori misi.
Consulitis ergo boni, placide accipite, atq; Valete!

Hanc Anthropologiam Disquisitionem honoris ergo nuncupat
& mancipat

ERICUS

Præfatio.

BArbarorum quidam Abdalas aliquando interrogatus quid in hac mundana scena maxime putaret admirabile? non barbarè, sed scienter respondisse feratur **CORPUS HUMANUM**. Quippe in hoc tot, tanta, tamque singulari admiratione digna sese offerant, ut non opus sit, neque in Celo sursum, neque in Terra deorsum querere, quæ admiremur, vel quibus oblectemur. Prominet hic caput rationis & sensuum domicilium; in quo cerebrum, frontem, oculos, nares, genas, Os, mentum, linguam, pluraque alia non sine admiratione contemplamur & rimamur. Capiti peritus collo junctione; in quo cor, pulmones, diaphragma, mamme, scapulae, costae, aliaque mira naturae opera, humana fatigant pectora. Huic proximum est abdomen, ubi ventriculus, bepar, lien, intestina, mesenterium, vesicula felvis, renes, vesica urinaria, & quæ cetera vel nutritioni, vel generationi dicata sunt organa, doctorum sui admiratione percellunt animos. Corporis trunko manus quoque adnatæ sunt quibus nihil admirabilius, nihil utilius; Quippe his sibi homo variatum instrumenta, tum arma pro necessitate & sui

defensionē parat. Propendent pedes, ubi femur, tibia, pes parvus, digiti & ungues. Per totum verò corpus ossa, nervi, musculi, venae & arteriae sparguntur. Ossa consolidant, nervi movent, musculi ligant, venae rigant, arteriae vivificum advehunt nectar. Hæc illa miracula quæ intranos, quæ circumferim' cottidie. Hinc præclarè Titelmannus; Signa querunt bonitatis desuper & prodigia stupidi pectant. Miraculorum omnes cupidi sumus, cum sint hæc omnia intra nos verissima, spectatuq' dignissima. Quæ verè non sunt miranda miramur attoniti, vera miracula non s'nt quæ admiratur. Siquidem homo non jam leones, non pavones, non tigrium, pantherarumq' maculas mirare. Te ipsum scrutare è minimis prognatum principijs; Et exclamacum prophetæ: Confitebor tibi Domine, quia mirabiliter sum formatus, informem massam meam viderunt oculi tuí. Medicorum quoq' princeps Galenus, licet religione Ethnicus, fastetur sapientiam & potentiam conditoris nostri, qui animalia fabricatus est, ne laudare quidem satia pro merito posse; Idcirco se commentarios de natura corporis humani, ceu hymnos quosdam conditori suo composuisse, propterea quod ex ea appareret quenam ipsius creatoris sit sapientia, quæ bonitas, quæ virtus, ignoratio quorum summa impietas. Ita Galenus, perfecta Dei cognitione destitutus, Creatorem per creaturam

turam cognovit suoque modo coluit. Hoc ergo Ethnico ne nos in cognoscendis Dei operibus simus deteriores, & circa res alias occupati, corporis nostri strueturam negligamus & ignoremus: Iccircò, creatoris nostri sapientissimi freti auxiliō, corporis humani, ejusque partium naturam brevissimis Thesibus explicare & sub disputationis incudem revocare constituimus, Sit itaque.

Thesis Prima.

Corpus Humanum est pars essentialis hominis elegantissimè & artificiofissimè, ad varias animæ operationes edendas constructa. Hæc definitio, nescius dispalefacat, in suæ causæ eam resolvemus.

II. Causa efficiens Prima & maximè universalis est Deus Ter opt. Max. Qui, ut in prima creatione, cum res naturales omnes sapientissimò & potētissimò suò verbō creasset, corpus primi hominis è limo terræ formavit: Ità nunc nostra corpora, intervētu causalium particularium è semine efformat, suode; efficaci concursu sovet & sustentat. Unde verissimè à Iob obseritur quod Deus nos muteri profunditate formet: Manus turum, inquit, fixerunt me. Nonne sicut lac fudisti me? Et tanquam ecaleum coagulasti me? Cutæ & carne induisti me. & Ossibus & nervis texisti me? Beatus quoque Lutherus in Exegesi 1. Artic. Symb. Credo, inquit, quod Deus creavit me una cum omnibus creaturis, quod corpus & animam, oculos, aures & omnia membra, rationem & omnes sensus mihi dedit, & adhuc sustentat.

III. Deinde causa universalis secunda, sunt corpora cælestia, quorū in mundum hunc sublunarem vis cuius sit magna, non parom etiam generationi corporis humani inserviunt, juxta illud: *Sol & homo generant hominem.* Sed hæc, uti sunt causæ universales, ita inde terminata & ad omnium generationem indifferenter se habentes^o.

IV. Causa ergo Principalis & proxima corporis generandi, sunt parentes, qui cum vi benedictionis divinæ in prima creatione inditæ, genito suam essentiam comunicent, formam etiam mediante aliquali suæ speciei materia producunt. *Et hac actio à Physicis generatio inserviata appellatur.*

V. Formandi verò corporis, Causa principalis & proxima est ipsa anima, mediante semine non à materia nec ex materia, sed in & cum materia, à forma parentum propagata & multiplicata. Quæ ita traducta suum sibi domicilium fabricare exorditur, subiectamq; materiam distingvit, disponit, ordinat, format & effingit, non nescia, quarum ad operationes suas indigasit partium; adeoq; hæc ratione novum corpus, quo ad speciem generanti simile producit.

VI. Causa deniq; Efficiens instrumentalis est facultas formatrix, quæ prout ab anima dirigitur, semen disponit, membraq; omnia efformat, illis quantitatem, figuram, situm & cetera necessaria communicans^r.

VII. Materia proxima corporis humani, est semen & sanguis maternus. Remota verò sunt quatuor elementa, cum principijs Chymicis^s. Cum autem ex semine prima stamina omnium partium formentur, & affluxu sanguinis materni eadem compleantur; operæ pretium nos facturos existimamus, si naturam corum hic paucis declaremus^t.

VIII. Communiter quidem *Semen excrementum alimenti ultimi partis solidarum* describitur. Sed falsum in primis *semen excrementum* esse; quia in peculiari organo ex puro sanguine non sine labore coquitur & elaboratur. Certe tot vasorum preparantium & coquentium mirabilem structuram pro excremento nunquam formasset natura. Ultimi etiam alimenti excrementum *semen* non est; nam per duas venas, duasq; arterias satis patentes sanguis defertur ad testes, ut ibi formam induat seminis. Quid ergo opus est ex *saturis ipsaribus reliquias quasdam trahi a testibus*.

IX. *Est ergo semen corpus calidum, humidum, spirituosum, spirituosum & album, ex sanguine vite sanguinis excoctum, ad animae propagationem & viventis generationem elaboratum.*

X. *Calidum est semen*, quia commune naturae instrumentum calor; non autem sufficit calidum elementare, sed necessarium cum primis innatum. Hoc enim definitur substantia, viventibus corporibus propria, præcipuum animæ instrumentum, per omnes corporis partes extensum & diffusum, cuius extinctione mors naturalis oritur. *Humidum est*, quia cum prima partium conformatio ex eodem fiat, diduci & distendi debebat; ubi inobediens fuisset materia siccior. Hic iterum non solum elementare, sed & radicale prostat humidum. Quale enim calidum, tale etiam humidum. Erravit ergo Ctesias, Artaxerxes Regis Medicus, qui semen elephanti usq; adeo siccuscere putabat, ut electro simile esset; non enim tanta inter hominum & perfectissimorum brutorum semina diversitas.

XI. *Sementotum spirituosum est*, quoad spiritum insitum & influentes, naturalem, vitalem & animalem,

statimq; acri expositum liquefcit, aquefcit & infœcundum evadit. Mirus proinde Averrhoes, qui mulierem in-
gressam bachelum, in quod virile effusum erat semen concepisse
existimavit.

XII. Spumosum est spirituum permistione & agita-
tione: Unde venus poëtis ex spuma æquoris nata.
Album deniq; est, quia excoctum in testibus: Quippe hi
propriâ formâ materiam seminis, sanguinem sz, ad se per
duas venas, duasq; arterias delatum, in seminis naturam
convertunt, coloremq; album, haud secus ac hepatis chy-
lo rubeum, inducunt. Non itaq; cogitandum Æthio-
pum genituram atro infectam colore. Causam scire
qui desiderat unde nigredo cutis? Cogitet non ex sola
semine nasci cutim, sed è semine & sanguine.

XIII. Tandem innuitur causa finalis seminis, ani-
mæ scilicet propagatio, viventisq; generatio. Propa-
gatur enim ac traducitur anima, non quavis corporis
particulâ avulsâ, ut in salice; Sed unice semine, quod
ἀπόσπασμα σώματος καὶ ψυχῆς, appellantur veteres.

XIV. Hic magna inter Medicos & plurimos Phi-
losophos agitari solet controversia: An scilicet solum
mas, an verè etiam fœmina semen ad generationem fœtus sup-
peditet? Nos ab eorum parte stamus, qui certâ ratione
& experientiâ suffulti ab utroq; parente semen proveni-
re statuunt, Ratio; natura nihil facit frustrâ, nihil teme-
gè. Fecit autem fœminis eadem organa semini pro-
creando, excoquendo & deferendo dicata, ac maribus.
Quid ergo opus illis machinis, si nihil coquendum, nihil
elaborandum. Certè ubi eadem organa, ibi idem or-
ganorum usus. Experientiam qui desiderat, Anato-
micos consulat, qui è cadaveris testibus eâ copiâ ali-
quant.

quando exceni testantur semen, ut eorum impediatur operas^s.

XV. Licet a mulieres semē emittant, illudq; adiuvē ad generationem concurrat, in q̄t celebertim^s Sennert^s Inst. med: part. i. L. i. c. 10. p. 82. tamen solū non sufficit, Sed hic à Creatore in natura ordo sanctus est, ut ex utroque semine, tanquā duabus partialib^s causis, unū principium, & una totalis causa emergat, à qua unus motus & ēnēg^s eius ad fœtus productionem proveniat. Vis enim & efficacia seminis fœminini est imperfectior, quæ propterea cum semine masculino, cuius semper major, rive ad fœminas, sive ad masculos generandos, est efficacia copulatur. Hæc ille.

XVI. Hec utriusq; sexus semina, postquam in ute-
rum tanquam agrum feracissimum effusa, ibidem re-
tentia & exquisitè mixta, uteriq; ingenita facultate susci-
tata sunt, ne momento quidem otiosa est natura^s; Sed
statim conformatio nis aggreditur opus, miras in tem-
ne ordinationes, secretiones, concretiones, contratio-
nes, densationes instituens^s. E partibus crassioribus
membranas fœtum ambientes effingit, tenuiores ac no-
biliores intro recondit, & ad usus præstantiores ac no-
biliores reservat.

XVII. Sunt autem membranæ illæ duæ. *Chorion* &
amnios. Chorion est tunica nervosa & valida, fœtu-
m ambiens, vasa umbilicalia fulcens, & eorum in-
tervenu utero adhæscens^s. Amnios est tunica te-
nuior proximè fœtum ambiens, ac sudores recipiens^s.
Has provida natura non sine fine insituit^s. Nam
hū, inquit Laurentius, quasi sepimentū, nobilior feminis pars
obvallatur, & inter se conlucens spiritus, qui ob tenuitatem
facile eranescerent. Adde, inquit Clariss. Sperlingius

quod

quod nisi prius efformarentur membranæ, tenellus Embryo ejusq; principes partes, uteri duritis lacerentur.

XVIII. Membranis singulari naturæ providentia in gratiam ipsius foetus productis, ipsa vis formatrix ociosa non est in reliquis seminis partibus'; Sed delineationi & conformatioñi omnium partium corporis simul incubit. Nihil n. est inq; Clar. Horst: Excer: 12. §. 9. Quod virtutem formatrixem ad agentum sufficientē praesente adequata & proportionata materia impedire possit, quod minus conformations omnium partium incumbat. Et Varolius ait, Cum spiritus ille semini habeat in quavis sui parte totam formatrixem facultatem, & sit agens naturale internum, non voluntarium externumq;: Ubi materiei disperita jungitur, necessariò agit secundum omnes suas potentias, & propterea omnes corporis partes simul producit extremitatibus exceptis; Hęc ille.

XIX. Non tamen omnes partes simul perficiuntur, suamq; formam absolutam consequuntur; Sed aliae citius aliae tardius, pro ratione dignitatis & necessitatis; prout sz. foeti, dum in utero est, vel postea etiam ubi in lucem prodijt, inservire debuerunt. Primis enim statim à conceptus tempore diebus, tres quasi bullæ que cerebri, cordis & jecoris sunt rudimenta, & innumeræ ferè filamenta, quæ venia nervis & arterijs originem præbent, & solidarū quasi partiū stamina apparent. Ego inquit Platerus, ejusmodi rejectum globuliroundi & albi inflat, magnitudine avellana, in quadam, que quot annis ferè non multis à conceptu diebus abortiebat, atq; ex amnis tenui, cui innatabat, exewi, & cum ab invicem dederem, tres ejusmodi bullæ, quarum inferior jecoris rudimenta exprimens,

pallidior, non tamen rubra erat, observavi, quatuor portiones, pro brachis & pedibus formandas, & quod spissatus juncundum, duo puncta nigra minutissima, oculis discisa notavi. Hac Platerus.

XX. Cum hæc prima partium ex semine conformatio non sufficiat, sed insuper sanguinis materni requiratur affluxus; Iccircò delineatis & adumbratis hoc modo partibus ex semine provida natura primum perficit vasa umbilicalia, per quæ sanguis maternus ad partes affluat, easq; perficiat.

XXI. Vasa umbilicalia quod concernit, à numero exortu, atq; usu eorum, non eadem Autorum mens est. Restamen ita habet, inquit Clarissimus Sperlingius in Tract: de Fœtus form. c. 5. Perpetuò observantur quatuor, nimirum vena umbilicalis, duæ arteriae & urachus. Vena Umbilicalis venæ portæ, cui continua, propago est. Arteriae duæ rivuli rami iliaci descendentis aortæ sunt. Urachus à vesicæ fundo ad umbilicum festuet. Per venam umbilicalem fœtus sanguinem venosum ad nutritionem & augmentationem accipit. Per arterias sanguinem spirituosum ducit. Fer Urachum urinam expellit.

XXII. Est autem sanguis menstruus, qui statim periodus, moderata quantitate uterum ingreditur, ad fatus perfectionem nutritionem & augmentationem. Causa efficiens hujus sanguinis hepar est, qui istum eadem ratione, quæ reliquum quo carnes explentur, format.

XXIII. Expellitur hie sanguis, non quod vitiosus sit, sed quod certo modo redundet. Et si quod vitium habet, non ex sua natura habet; Sed ex mora diuturniore in utero, & aliorum humorum ad istionem, vitiosa que aliqua foeminae constitutione. Optima n, sapo

ab eunt, in pessima. Semen hominis nonne laudabile quid? Ingentia tamen secum trahit incommoda, si fuerit suppressum. Morbos vero & agrota pravum illum facile gignunt sanguinem. At res judicanda non ex ijs, quæ accidunt, sed è propriâ naturâ dotibusq; nativis. Quicquid ergo damni infert sanguis menstruus, sit per accidens & præter naturæ intentionem.

XXIV. Non verò sine lege, ac fine ruit, sed metas habet, quas ultra non tendit. Viz excretioni huic dicatae sunt venæ uteri & uterus ipse. Finis deniq; est foetus perfectio, nutritio & auctio. Hoc enim illud principium est, quo partes post conformatiōnēm ex semine in utero justam quantitatē & complementum acqui-runt. Ex sanguine hoc carnes coagulantur, foetus que nutritur. Hac nostra sunt primordia. His nascuntur principijs divites & pauperes, his Reges & ministri.

XXV. Forma corporis humani, est elegantissima & artificiosissima illa partium structura, omnium reliquo-rum animantium corpora organorum copiā & com-moditate superans.

XXVI. Finis deniq; duplex est, universalis & particula-ris. Universalis est gloria DEI: Omnia enim à DEO, omnia ad DEum. particularis in definitione innuitur, ubi ad animæ operationes edendas constructum dicitur corpus.

XXVII. Expositis sic bœviter causis corporis hu-mani, jam consequenter, quæ sit partium ejus natura vi-debimus. Partis vocabulum in praesentia non acci-pimus impropriè & latè pro omni eo, quō totum comple-tur, quemadmodum habet Galenus; vel prout ab Hippo-crato omnia, quæ in corpore humano reperiuntur in-co-tinentia, contenta & impetranti facientia distingui-tur

ter: Per continentia partes propriè dictas, per conten-
ta humores, per impetus facientia spiritus intelligun-
tur; Sed in propria significacione eam solum partem
corporis dicimus, Primo, quæ vivit, & nutritur, nec aliam
nutrit; Secundo toti cohærens ad actionem & usum est
comparata.

XXVIII. Pars, particula, membrum, locus, Me-
dicis, & potissimum Hippocrati & Galeno sunt synony-
ma. Oculum, ait Galenus, i. Methodi, membrum vo-
camus, nec enim sive membrum, sive pars dicatur quic-
quam interest; Si quis dixerit oculum esse partem, &
non membrum, vel membrum & non partem à me dis-
sentiet minimè. Et i. de locis affectu inquit, non so-
lum recentiores Medici, sed veterum quoq; non pauci
corporis particulas locos nominare consueverunt.
Sic Hippocrates lib. de locis in homine & lib. de virtutis ratione
in acutis, partes appellat locos.

XXIX. Alij autem hæc destingvunt. Sic Arist.
ea tantum corpora, quæ ex partibus diversæ naturæ con-
stant, h.e. dissimilaria, membra nomine insigniēda vult,
ut caput, pedes, manus &c. Quæ verò similaria sunt,
partes applanda censem.

XXX. Pars itaq; est corpus virens, toti cohærens, ad ejus
que actionem & usum comparatum. Cohæret autem pars
toti connexione dupli Mathematicâ sz, & Physicâ:
Prior illa quantitatum est; Nam pars separata animalis
à toto, non nisi à quivocè pars ejusdem dicitur.. Po-
sterior unio vitæ & specifica dici solet; Emortua enim
pars et si toti cohæret non tamen nisi à quivocè pars ap-
pellatur, quia formam cum toto univocam non habet

XXXI. Quin imò ea pars propriè partis nomen sortitus, quæ morbis aut sanitati est obnoxia: At morbis illis afficiuntur, quæ agunt; Est enim morbus teste Galeno affectus præter naturam, quò actiones primò lèduntur: Actio verò est animati non inanimati corporis. Hic ergò partium ratione anovitunt, semen, humor, spiritus, unguis, pili, adeps, aliaq; quibus proposita definitio accommodari non potest.

XXXII. Partium propriè diætarum differentiæ, et si varie ab Anatomicis ponuntur, hæ tamen, sunt notabiliores. 1. à Principijs generationum aliæ sunt spermaticæ seu seminales; aliæ sanguineæ; aliæ mixte. 2. à substantia, aut si mavis à compositione, aliæ similes, aliæ dissimiles seu compositæ. 3. à dignitate & usu, aliæ principes, aliæ ministræ.

XXXIII. Prima divisio nisi rectè explicetur, difficeret defendi poterit. Omnia enim corporis nostri membra ex semine sunt conformata: Omnia ex sanguine; Ut supra Thesis 19 & 20. diximus. Cor, cerebrum, jecur fuere tres bullæ; (Bulla hæ ex semine) ijs affluxit sanguis, ut incrementa duxerint, ad justam molem. Hæ mente Galenus: teste Laurent. I. 1. c. 10. In quacundq; parte spermatica deprehendit substantiam solidam & carnosam: (Ut de tertia spiro-sano dicamus) Solida est quasi stamen seminale: Carnea quasi subtegmen ē sanguine. Quapropter Si quis naturam ducem sequi volet nuncupanda est pars quæq; seminalis & sanguinea sine discrimine.

XXXIV. Sunt ergò partes spermaticæ, quæ immediate ex sanguine generantur.; Tales sunt ossa, cartilagines, ligamenta, membrana, nervi, vena, arteria, fibra, tendines

nes, medulla cerebri &c. Hæ partes cunctæ affluxu sanguinis complètūr & perficiūtūr, magisq; in his sanguinis iste alteratur & alias qualitates induit, quā in partibus sanguineis. Hinc etiam omnes exangves dicuntur & per consequens frigidioris constitutionis; Unde si dissecentur, non facilē coalescunt, coalitu primariō, sed callō medio iunguntur, ob inopiam materiae & imbecilitatem efficientis, caloris s. nativi.

XXXV. Contra sanguinæ partes, quæ aliâs carnæ dicuntur, sunt, quæ ex sanguine generantur: *Ex eorū censu sunt carnes muscularum, viscerumq; & caro simplex.* Hæ partes calidiores & humidiores sunt, ideoq; faciliter negotio coalescunt, quando materia bene dposita, nimis sanguis affluit, qui facilimè in substantiam harum partium ob similitudinem converti potest.

XXXVI. Pars mixta est, quæ ex paribus portionibus seminis & sanguinis est genita. *Talis est cutis, quam omnes fatentur esse ex æquis utriusq; partibus temperatam.* Sicut ergo errat, qui dividit omnem colorē in album & nigrum, cum detur etiam cineritius sive viridis; *Sic cum prædictis partibus se res habet.*

XXXVII. Sequitur discriminē partium simplicium seu incompositarum, & multiplicium seu compositarum. Vulgo appellantur similares & dissimilares. *Similares partes diversi diversimodè definiunt.* Qui partes similares definiunt, quæ cum in partes dividuntur, partes retinent nomen totius; i. e. oppidò falluntur. Vena enim arteria, nervi &c. Cum sint nomina non substantiæ simpliciter, sed substantiæ: *ut Thesis 41. dicemus, certâ conformatione præditæ: Idcirco nec debent, nec possunt servare nomen totius.* Sic

*frustulam gladij nemo recte vocaveris gladium, aut fragmenta
calicis vitrei, calicem; quia ista licet, similaris sine substantia,
includunt tamen certans conformatiōnēm.*

XXXVIII. *Andreas Lauret. lib. 1, c. 20.* *Dum partem similarēm duobus modis considerat. 1. Ratione Formae: 2. Materiae: à forma talem ponit definitiōnēm;* Pars similaris est, quæ undiq; uniformem habet figuram. *Sed hæc definitio cum omni parti similari non conveniat, siccirco non satis bona est.* Unum os aliqua sui parte planum est, aliqua gibberum, prominulūm, intortum, leve, asperum. &c.

XXXIX. *Rectissimè Aristot. lib. 1, hist. an., c. 1.* *Partem similarium indelem expressit:* Ubi partes similares eas dixit, quarum substantia eadem & ubiq; sibi similaris; & quæ non sunt compositæ ex partibus diversarum specierum. *Ob hanc simplicitatem dici solent clementia animalium.*

XL. Sunt autem simplices, non absolute; nam Galeno docente, (ut etiam supra Thesi 33. innuimus) Triplici constant substantiâ. solidâ, carneâ, spiriteosa: coaluerunt ex humoribus; hi ex tribus principijs chymicis, hæc ex materia & forma; Sed respectu compositarum, quæ ex partibus diversæ materiæ constant: Et proinde propriè opponuntur dissimilaribus & compositis.

XLI. *Dicimus similes propriez opponi dissimilaribus;* Quia sunt non nulli, qui easdem organicis opponunt: Verum non satis eruditè aut apposite. Nam affectio-nes partis organicæ magnitudo sz. numerus, figura & compositio, (*Unde pars organica est, quæ peculiarem se p̄ propriam, adere potest actionem, certog; modo conformata est*) Etiam partibus similaribus competunt. Sic ossa suam ha-

bebent magnitudinem, numerum, figuram, alia aliisque
aliam figuram habet tibia, aliam femur, aliam os bra-
chij, digitorum in pedibus & manibus articuli, dentes,
costæ, cranium. Ita nervi, venæ & arteriæ, suæ ha-
bent cavitates, & sunt veluti oblongi canales; unde
etiam obstrui possunt. Quæ quidem partes omnes
non ad sui nutritionem talem requirunt conforma-
tionem; Sed ut alijs partibus, vel etiam toti corpori
inserviant. Sic, ut cranium cerebrum regat, ossa cru-
pis ambulationi, ossa brachij apprehensioni sint ut in
certo modo conformata esse debebant. Venæ, ut san-
gvinem capiant & ad alias partes deferant, concavæ te-
xetes & longæ sunt. Item dicendum de cæteris par-
tibus. Ex quibus omnibus patet, in partibus simplicibus aliud
esse similares & constitutionem, altud organicam conformatiōnem,
& utramq; in eadem parte concurrere posse.

XLII. Numerum partium similarium quod attinet, est hic quoq; controversus: ab alijs enim plures, ab
alijs pauciores enumerantur. Comuniter tamen hæ
recensentur, Os, cartilago, ligamentum, membrana, nervus,
arteria, vena, tendo, fibra, caro, cutis. In hâc serie duo re-
quiret curiosior aliquis: 1. Non omnes, quæ enumera-
rantur esse similares. 2. Este adhuc alias prætermis-
fas. Similaris naturæ non videtur vena, constans tuni-
ca & valvulis. Non nervus, qui foris vestitur membra-
nâ, intus farcitur medullâ; rebus profectò specie diffe-
rentibus. Sed de vena res plana est. Valvulis enim
cum tunica eadem prorsus substantia. At nervus bo-
no jure videtur hinc exclusus.

XLIII. Præter dictas istas & aliæ adesse deprehen-
duntur, designato censu non comprehensa, us
substantia cerebri, pulmonum, testium &c. Sed has carnis
nomi-

nomine intelligi debere dixit *Galenus l. 1. nat. fac. c, 6.*
quamvis significatu cōacto potius, quam nativo. Atq;
hæ sunt similares².

XLIV. Partes compositæ seu dissimilares sunt, quæ
in partes plures dissimiles dividiri possunt. Sic manus
non potest secari in alias manus, sed in ossa, musculos,
nervos, venas &c.

XLV. Hic quæstio iila famosa, diu multumq; inter
Medicos agitata, sz. *Similares an dissimilares partes sint causa actionum in corpore?* sese offerit. Pro cujus decisio-
ne notandum, quæ scripsit *Galenus l. const. art.* Nimi-
tum tam similares, quā dissimilares sunt causæ actionum:
illæ actionum similarium primarum seu simplicium, ut
attractionis, coctionis &c. Hæ secundarum seu dissimi-
larium, ut visionis & ambulationis². Scio, *inquis D. Pe-
trus Laurenberg. Rostoch. in colleg. anat. d. 1. Th. 43.* Multoties
Promulgatum à Galeno, in quovis perfecto organo
reperiiri partem similiarem, quæ princeps sit causa actio-
nis². Sed solam istam causam esse actionis, nuspian ab
eo literis proditū est. Cum multæ sint ē quib; organon
componitur, una est reliquis excellentior, quæq; agit im-
pensius, & majorem operis partem absolvit. Sola ta-
men nec agit absq; cæteris, nec cæteræ sine illa. Dux
est præcipua exercitus pars, cæteroq; milite nobilioꝝ;
Urbem tamen non expugnat solus sine milite, nec sine
eius ductu milites².

XLVI. *Tertia deniq; divisio* succedit, quā partes ra-
tione dignitatis & usus in principes & minores principes seu
ministras dividuntur. *Pars princeps definitur, que ad*
conservationem, per se necessaria est. Est autem duplex
conservatio, una individuum, altera speciem respiciens².

Priori modo principatus cerebro, jecori, & cordi, posteriori testibus attribuitur.

XLVII. Minus principes & ministra sunt, quæ principi-
bus aliæ defendendo, aliæ aliquid præparando, aliæ de-
fendendo inserviunt. Sic hepatici inservit. 1. Materiam
præparando ventriculus, qui eibum in ore masticatum
per gula recipit, & ingenitâ facultate in chylum con-
coquit, quem deinde ab eo intestina recipiunt, & per
lacteas venas, hepatici transmittunt. 2. Materiam abdu-
cendo, vena cava & porta, in quibus sanguis absolvitur,
& cuilibet parti ad nutritionem subministratur. 3. Ex-
crementa recipiendo vesicula fellea, quæ excrementum
biliosum recipit; Renes, qui per venas emulgentes se-
rum à sanguine separatum trahunt, idq; ad vesicam per
ureteres deferunt, ubi continetur, donec per mea-
tum urinarium deiciatur. Defendendo deniq;
ab externis injurijs inserviant partes continentes infi-
mi ventris.

XLVIII. Altera pars principalis individuum per se
conseruans est Cor; cui arteria in spiritum vitalium
dispensatione: Pulmo & arteria aspera, in defendendo aë-
re; Os pectoris, costæ, claviculae, vertebrae &c. Item mem-
brana dura, quarum una costas succingens pleura, altera
Mediastinum dicitur, huic annexitur pericardium, in quo
cor tanquam in arce regia residet; in defendendo
ministrant.

XLIX. Tertia pars principalis Cerebrum est; huic
defendendo inserviunt periostium, ossa cranij, dura me-
ninx & pia mater. Alimentum advehunt venæ ju-
gulares internæ & externæ atq; arteriæ caroditæ. Et
cum sensui ac motui beneficio spirituum animalium

præesse debeat, ideo nervi, qui partim immediatè à cerebro, partim etiam à spinali medulla oriuntur, inserviunt, sensusq; & motus gratiâ varijs partibus inservuntur. Deniq; cum cerebrum etiam excrementis scateat, ideo natus, glandulâ pituitariâ condita, ad nares atq; fauces eadem transmittit.

L. Ha sunt tres illa principales partes, quæ conservationi individui per se suas operas locant; jam sequitur ut partes conservandæ speciei causâ conditas, videamus, testes sz. His ministrantur: *Primo* defendendo in viris (eructum, mulieribus verò partes internæ, quibus insidentur. *2.* Materia adducendo dux venæ, duxq; arteriæ; illæ à truncō venæ cavæ; hæ ramo emulgente ortum trahuntur. Venæ sanguinem crassiorem, arteriæ subtiliorem deferuntur. Ultræq; ad parastatas & testes tendunt, ut sanguis ibi formam induat seminis. *3.* Semen excoctum deferendo, vasa ejaculatoria vel parastatae in viris, vasa varicosa in mulieribus. Semen deniq; recipiendo glandulæ prostatæ in viris, uterus in mulieribus. Ne autem fortus è naturæ specie in hanc mundanam solemnem enavigans convenienti alimento destituatur; ideo provida natura peculiarem compositionem mammarum, in quibus lac generari queat, adjecit.

Hæ de Corpore Humano, materia sanè ut nobilissima, ita scitu & disquisitione dignissima pro ratione instituti dicta sufficiant.

Faxit sanctissima Trinitas, ut dirigatur cogitatio nostra in ejus contemplationem, qua, absolutâ tandem hujus vitae periodo, in sempiterna secula fruhamur.